



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De sepultura Ecclesiastica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

tiarum Ecclesiæ suæ faciant indicem, & quibus pietatis operibus, quas indulgentias concessas habeant, & à quibus eas habeant accuratè annotent, ac in proxima Episcopali Synodo, vel per se, vel per superiores suos examinandas tradant; vt si quæ falsæ aut fictæ reperiantur, reiciantur, omnisq; abusus, si quis irrepsit, tollatur, & quæ legitimæ inuenientur, Romano Pontifici, confirmandæ, atq; innouandæ exhibeantur, ac ad maiorem fidelium certitudinem, atq; excitationem, in quibusq; Ecclesijs authentico scripto, publico loco, ac conuenienti, ad aspectum omnium proponantur.

Cætera de indulgentiis vide in De Paenitentia.

2. Falsæ, vanæ, & ad imposturam excogitatæ habeantur, immodicæ & plus æquo exorbitantes indulgentiæ, quæ ex leuibus causis incertisq; reuelationibus, sine legitima vlla authoritate, scriptis quibusdam & impressis libellis insertæ sunt, ac in tabellis, quas alicubi videre est, nonnullis orationibus adiunctæ: præsertim si promissiones cõtineant certorum effectuum, periculorum scilicet euitationem, à gladijs, à tormentis, ab aquis, à peste, aut liberationem certam à Purgatorio.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

1. Sepultura careant Ecclesiastica omnes hæretici, schismatici, Venefici, Sortilegi, Religiosi proprietarij, publici Simoniaci, Vsurarij, & illi qui sibi manus violentas intulerunt, aut in duello mortui sunt; omnes excõmunicati; quiq; præcepto Ecclesiæ, *Omnis * utriusq; sexus*, satisfacere contempserint, ac postea subita morte præuenti fuerint: nec non & illi, qui contempserint sacram vocationem; qui cum antea fuerint de hæresi suspecti, Pastorem ad se in morbo aduocare neglexerint; licet ipsis iam rationis vsu & officio priuatis, à Parentibus aut amicis Pastor aduocetur; nisi eodem Pastore præsentem, aliquod

nota-

notabile dederint poenitentiae signum. Qui autem eos loco sacro sepeliuerint, aut sepeliri curauerint, poenis iure constitutis, alijsq; arbitrarijs puniantur.

*Cap. 8. titu. De heretic. cap. 7. tit. De consecr. Ecclesie. cap. 12. tit. De sepultura. cap. 3. Titu. De usuris in 6. ca. 2. Ibidem titu. De heretic. cap. 2. Concil. Bracaren. 1. cap. 34. cap. Placuit. in hi qui. 23. quest. 5. Conc. prou. sub Adol. 3. in censuris ca. ult. pa. 456. a. Stat. Sifr. ca. 14. pag. 47. b. c. Synod. Dioces. an. 1551. habit. pa. 530. a. * Cap. Omnis vtriusque sexus. De poenit. & remissio.*

2. Infantes quoq; qui ante susceptum Baptismum fuerint mortui, loco prophano, ad hoc deputato aut deputando, extra cimiterium sepeliantur.

Stat. Sifr. cap. 4. pag. 38. b. Syn. Dioces. anno 1551. habit. artic. 6. pag. 530. Concil. Bracaren. 1. cap. 35.

3. Ne sepulta defunctorum corpora aërem queant inficere, aut grauem per templa aut cimiteria offundere odorem; tam profundè sepeliantur, vt duos pedes supra loculum terra congeri possit; ac in templis quidem lapidibus, in cimiterijs verò vetustissimo Christianorum more, tumulo sepulcra muniuntur. Quæ porrò de sepulturis & exequijs in prouincialibus Concilijs, & Synodalibus Constitutionibus, ac à nobis titulo, *De diuinis officijs*, decreta & sancita sunt, omni sedulitate ac deuotione, ab omnibus in actum ducantur.

Conc. prou. sub Herm. 5. par. 7. cap. 28. 29. Conc. prou. sub Adol. 3. in cens. & decretis, ca. Cū mortuus sit Christus pag. 451. c. d. Synod. Dioces. an. 1550. feria 3. post. S. Matth. habit. pag. 467. Conc. prouinc. sub Conrad. Archiepiscopo ca. 26. pa. 17. d. Statut. Sifr. ca. 2. pa. 36. d. Stat. Vilhelm. cap. 17. pag. 169. a. b. c.

DE SUPERSTITIONE.

CVM varia sint superstitionum species, quarum nulla est, quæ non vel tacitè vel explicitè cum Dæmone aliquam includit societatem, debitum uic Dei honorem ad creaturas transferat, vel ad minus in falsi protestatione consistat; aut à vero religionis cultu, ad nugatoriam & noxiam Dæmonis pelliceat vanitatem: grauitè illi peccare doceantur; & ab erroribus conuenientibus modis reducantur, qui aliudè quam Dei reuelatione, fortui-

I.

Yyy 3

tarum: